

1335 juny 1

L'infant Pere, fill de Jaume II i comte d'Empúries i Ribagorça, com a titular del comtat de Foix, ratifica als homes d'Andorra, representats per Arnau Babot, d'Ordino, Miró Vila i Pere de l'Areny, d'Encamp, els privilegis, franqueses i bons usos que els havien estat concedits anteriorment pels comtes de Foix. Per aquesta raó, mana als veguers, batlles i altres oficials i súbdits que tinguin per ferma la present ratificació de drets.

O.* Andorra la Vella, ANA, ASC, perg. núm. 1.470. Al dors: «Confirmació de tots e sengles privilegis [e] franquitats feta per lo infant don Pere, rey de Aragó, als habitants de Andorra» (s. XV); «Carta del rey de Aragó» (s. XV); «Buydat al Llibre 4» (s. XVIII); «Nº 4, lletra D» (s. XVIII), «Nº 4, lletra D. Confirmació de privilegis del sereníssim infant don Pere» (s. XVIII). — **A.** Trasllet de 21 de juny de 1552, Andorra la Vella, ANA, ASC, perg. núm. 1.042. Al dors: «[Confirmació de privilegis i franquitats feta] per lo infant [Pere de Aragó als habitants] de les vals de Andorra per lo comte de Foix» (s. XVIII); «És al Libre» (s. XVIII).

a. BAIGES; FAGES, *Diplomatari*, doc. 23, pàgs. 57-59 (amb data de 1334).

Noverint¹ universi quod nos, inffans Petrus, illustrissimi domini Iacobi bone memorie regis Aragonum filius, Rippacurcie et Impuriarum comes, tenentes et possidentes dominacionem et iurisdiccione[m] altam et bassam vallium de Andorre cum omni alia iuris plenitudine olim pertinenti et pertinentes egregio comiti Ffuxi, gratis et ex certa scientia, per nos et nostros, laudamus, approbamus, ratificamus et confirmamus vobis, Arnaldo Babot, d'Ordineu, Miró de Villa et Petro de l'Areyn, d'Encamp, omnibus vallium de Andorre, presentibus, nomine proprio et dictarum Vallium et universitatum ipsarum Vallium et omnium et singulorum locorum earundem Vallium stipulantibus et recipientibus et eisdem etiam universitatibus et locis, in manu etiam et posse notarii infrascripti pro ipsis universitatibus et ipsarum nomine a nobis legitime stipulantis, paciscentis et recipientis, omnia privilegia, franchisia et bonos usus dictis Vallibus et universitatibus ipsarum hactenus datas et concessas per nobiles et egregios comites Fuxenses temporibus quibus ipsi comites dictas Valles dominabantur et regebant et de quibus dicte universitates et singulares ipsarum usi fuerunt et consueverunt ea temporibus retroactis, prout ea omnia melius, largius et uberius per comites predictos data et concessa extiterunt. Ita ut deinceps universitates predictae et singulares ipsarum dictis privilegiis, franchesiis et bonis usibus utantur et gaudeant ipsisque experiantur seque tueantur plenarie, tam in iudicio quam extra iudicium, sicut temporibus preteritis usi fuerunt et

gavisi et uti consueverunt et experiri, et sicut melius et utilius potest dici et intelligi ac etiam interpretari ad dictarum Vallium et universitatum earum et singulorum earundem comodum et utilitatem ac favorabiliter intellectum. Mandantes tenore huius publici instrumenti vicem etiam epistole gerentis in hac parte vicariis, baiulis aliisque universis et singulis officialibus et subditis nostris presentibus et futuris quod huiusmodi nostri laudationem, approbationem, ratificationem et confirmationem et omnia et singula in presenti instrumento contenta, rata et firma habeant, teneant et observent et ab aliis faciant inviolabiliter observari si de nostri confidunt gratia et amore. Et ut premissa maiori gaudeant firmitate, promittimus et iuramus per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia nostris manibus tacta, predicta omnia semper rata et firma habere, tenere et in nullo contrafacere vel venire de iure vel de facto aliqua causa, ingenio vel alia racione. Hec igitur, omnia et singula supradicta facimus, paciscimur et promittimus vobis, predictis Arnaldo Babot, Miró de Villa, Petro de l'Areyn, nominibus quibus supra recipientibus, et notario etiam infrascripto, tanquam publice persone a nobis pro dictis universitatibus et singularibus ipsarum et pro aliis etiam personis quarum interest et intererit, legitime stipulanti, paciscenti et recipienti.

Actum est hoc kalendas iunii, anno Domini M^o CCC^o tricesimo quinto.

Signum (*senyal*) infantis Petri antedicti, qui hec firmamus, concedimus et laudamus.

Testes huius rey sunt: nobilis Raymundus de Impuriis, Gaucerandus de Villarigio et Raimundus Arnaldi de Sancto Saturnino, consilarii preffati domini infantis.

Sig(*senyal*)num Geraldii de Oliva, incliti domini infantis Petri predicti scriptoris et, auctoritate eiusdem, notarii publici per totam terram et dominacionem suam, qui hec scribi fecit et clausit².

1. **A comença:** Hoc est translatum bene et fideliter factum in civitate Urgellensi, die vicesima prima mensis iunii, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, sumptumque a quodam publico pergameneo instrumento non viciato, non cancellato neque in aliqua eius parte suspecto sed omni prorsus, vitio et suspectione carentem, cuius tenor talis est. — 2. **A acaba:** E(*senyal*)go Bartholomeus Portella, civis civitatis Urgellensis, publicus apostolica et regia auctoritatibus notarius huius transumpto testis. E(*senyal*)go Andreas Soler, alias Gauzio, civis civitatis Urgellensis, apostolica regiaque auctoritatibus notarius publicus, huiusmodi transumpto pro teste me subscribo. E(*senyal*)go Michael Costa, civitatis Urgellensis, apostolica regiaque auctoritatibus notarius publicus, hoc translatum a suo vero originali sumpsit una cum prenominitis testibus comprobavi, scripsi et clausi requisitus.